



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quid sit Electio & quando distinguatur à postulat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

4. 5. Debet concors esse Postulatio & certa.

6. Quale impedimentum esse debeat in postulanda.

HACEN egimus de Jure scripto, ejusque principijs ac partibus; & de jure non scripto, ejusque etiam partibus. Quia verò parum est jura concedere vel nosse, nisi sint, qui ea tueantur & observari curent, 2 D. De orig. juris, c. Vbi periculum h. praterea De elect. in 6. ideo de Personis Ecclesiasticis, id sacrorum Canonum ministeris, Dist. 1. 2. in prin. eorumque assumptione ad dignitates deinceps agendum est.

Tribus potissimum modis contingit assumi aliquem ad dignitates Ecclesiasticas: Postulatione, Electione, & Translatione. Postulatio, quamvis hæc in subsidium Electionis sit introducta, ut si quis per Canones eligi prohibeatur, saltem subsidio Postulationis admitatur, hic præcedit, quia innititur gratiæ, iuxta e. Bona memoria 23. in fine 3. & Abbatem in Rubr. h. 1. Frustraque ageretur de electione eius, qui ob Canonicum aliquod impedimentum eligi non potest.

2. Est autem Postulatio (ut alias eius omitram significaciones, & inter eas illam, quæ querelam denotat vel petitionem, quæ sit in Judicio adversus aliquem) strictè sumpta, & prout ab Electione distinguitur, concors, certa, & supplex Capituli vel aliorum petitio, apud superiorem facta, ut certa aliqua persona ad Prælaturam promoveatur, ad quam, ob aliquod impedimentum vel defectum, iure eligi non potest, cum tamen Ecclesiæ utilis futura speretur; 3. veluti si agatur de Laico in Episcopum assumendo, can. Osius Dist. 61. vel de eo, qui illegitimè natus est, e. Innocentius 20. inf. De elect. vel ætate minor est, e. Cum in cunctis, e. Cum nobis 19. inf. eod. vel in minoribus constitutus, e. Praterea, inf. De ætate & qualitate ordin. vel si Episcopus aut Archiepiscopus unius Ecclesiæ expectatur ab alia, e. ult. junctio e. Bona memoria 2. h. 1. vel nondum religionem professus exposcatur Abbas, e. Cum monasterium 13 inf. De elect. Cum enim hi eligi prohibeantur, postulari debent, d. e. Cum in cunctis.

4. Dicitur est, concors; quia postulatio debet à Collegio concorditer fieri, d. Bona memoria h. nos igitur; & e. ult. h. id est, vel ab omnibus, vel saltem, ut vult Panormit. à maiore par-

te Capituli seu Collegii, id est à non minori, quæ tertia parte, eaque saniori, d. h. nos igitur & arg. e. 1. in fine & e. ult. inf. De his, qui sunt à maiori parte Capituli, & colligitur ex e. Scriptum & ibi latè Panormit. De elect. Quod si postulatio cum Electione concurrat, necesse est, ut numerus postulantium duplo sit maior numero eligentium; alioqui electio præfertur, d. e. Scriptum & ibi latè Panormit. Cujus ratio est, quia Postulatio nititur gratiæ, nec ullum jus postulari tribuit, qui aliquo defectu laborat, & quem proinde superior non cogitur admittere, e. Postulationem 5. h. 1. At verò Electio jure nititur, quod difficilius expugnatur.

5. Dicitur est, certa, quia in certis verbis postulatio facta est nulla: ut si dicatur, eligimus postulando, aut postulamus eligendo, vel alijs similibus modis, relatis in e. unico eod. in 6.

6. Dicitur est; ob aliquod impedimentum non autem ob delictum: quia qui crimine aliquo aspersus est, vel notatus, neque eligi neque postulari potest, d. e. unico. Debet quoque hoc impedimentum esse Canonicum ut per superiorem tolli possit: & si postulatus sit minor ætate, debet is attigisse 27 annum, e. unico h. 2. in Extravag. Ioan. xxii. Debet insuper attendi, ne in ejusmodi postulationibus dispensatio super talibus defectibus & Canonicis impedimentis difficilis sit, & Ecclesiæ futura: qua de re vide Panorm. ad e. fin. circa finem h. 1. Hinc postulari non potest tanquam postulatione indignus, qui violavit interdictum, e. 1. h. 1. Debet etiam idoneus postulari; alioqui doctrina & moribus indignum scienter postulantes pro ea vice omitunt jus postulandi: sicut & superior amittit potestatem, alium postulatum admittendi, qui sciens postulatam indignum admisit, e. 1. & 2. eod. tit. quia sic aburitur sua potestate, d. e. Scriptum in fine De electione.

TITULUS VI.

De Electione & electi Potestate.

§. I.

Quid sit Electio, & quomodo distinguatur à Postulatione.

1. Quid significet Electio.

2. Sumitur generaliter & specialiter.

3. De-

3. *Definitio Electionis.*4. *Locum habet in dignitatibus Ecclesiasticis.*5. *In quibus differat à Postulatione.*

DE Postulatione jam dictum est, qui est modus promovendi ad dignitatem Ecclesiasticam per viam gratiæ: sequitur de Electione qui modus est promovendi aliq[ue] per viam juris,

1. Tamen si autem Electionis nomen ex vi sua denotet defectum reificius vel personæ, è duabus vel pluribus, *c. in causis 30. cum seq. h. r. c. Cum specialis 61. inf. De appellat. c. In alternatibus De reg. jur. in 6. l. Plurimque 10. D. de iure dotium. l. Si quis stipulatus D. de verb. oblig.* tamen in hac materia restringitur ad personam, quatenus quis ad certam Ecclesiæ functionem & dignitatem eligitur.

2. Et hoc modo sumptum, dupliciter capi potest: primò generaliter, ut non solum Electionem, specialiter sumptam, sed & Postulationem, Præsentationem, Nominationem ac Collationem comprehendat, quia in his omnibus eligenda est persona, beneficio idonea, que postuletur, præsentetur, nominetur, & cui conferatur beneficium: secundò specialiter, & prout à reliquis distinguitur;

3. Sicque est alicujus ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam vacantem canonicè facta vocatio auctoritate superioris confirmanda, ut constat ex *c. Cum dilectus 32. c. Nihil 44. h. r. c. Glof. in Clem. Quia contingit in V. Electionem eod. tit.*

4. Dicitur, ad aliquam dignitatem: quia in simplicibus beneficiis Electio, proprie dicta, locum non habet, sed in dignitatibus & Prælatibus Ecclesiasticis, maxime quæ jurisdictionem aliquam in Ecclesiasticas personas habeat adiunctam: quæ ideo beneficia Electiva dicuntur, nec ad alicuius dispositionem pertinere. Huiusmodi sunt Pontificatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, omnesque Collegiarum Ecclesiarum Præposituræ, nisi aliter ex fundationis consuetudine, præscriptione legitima, aut privilegio obtineat: in quibus Electio potius obtinet, quàm collatio; ut is qui præficiendus est, sit gratior Cleto ipsius Ecclesiæ, dum eius suffragiis eligitur. Et ideo si quis aliter, quàm per electionem totius Collegii, ad dignitatem Ecclesiasticam aspiraverit, veluti si forte per collationem fuerit promotor, tanquam per cupiditatem & contra Canonicæ

regula disciplinam, expellendus est, *c. 1. h. r.*

5. Licet igitur olim iura promissè fuerint, verbo Postulationis & Electionis, ut patet ex *can. Statutus Dist. 61. & can. Literas dist. 63.* tamen plurimum differunt. Nam, ut dictum est, Postulatio est introducta in subsidium Electionis, ut eius incapax promoveatur: nullum jus postulatio tribuit, sed solà gratia superioris nititur, qui eam admittere vel rejicere potest: & iure ordinatio à solo Papa admitti potest, quippe qui solus Canonica seu iuris communis impedimenta iure ordinatio relaxare possit. Insuper qui eligi potest, postulari non potest, & contra. At verò Electio introducta est, ut capax promoveatur iure nititur, nam tribuit electio ius ad rem, & per eam initiatur vinculum matrimonii spiritualis inter ipsam & Ecclesiam, ad quam eligitur, confirmariq[ue] potest de iure communi ab alio, quàm à Papa. Et quando ad inferiorem spectat confirmatio, eam si legitime facta fuerit, confirmare debet: alioquin si distulerit, potest ei præfigi tempus, intra quod confirmet: & si intra illud non confirmaverit, confirmatio devolvitur ad superiorem.

§ II.

Quando faciendi sit Electio.

1. *Electio non nisi mortuo & sepulto Prælate facienda regulariter.*
2. *Quo loco convenire electores debeant.*
3. *Convocandi & citandi sunt omnes.*
4. *Per Procuratorem electio quatenus fieri possit.*
5. *Electio non securo effectu, non evacuatur.*
6. *A seculari facta electio inhabilem reddit.*

1. **P**riusquam de electione Prælati Ecclesiæ agatur, Ecclesia debet esse vidua suo Pastore seu Prælate, *c. Bona memoria 26. h. r. can. Obeantibus 35. Distinct. 63. can. Episcopo 3. in fin. VII. qu. 1. Glof. in can. Postquam 11. Distinct. 50.* quandoquidem iurè possessoris beneficium alteri dari non possit, *c. 2. & 3. inf. De concessione præbende, cap. 1. & 3. eod. tit. in 6.* Nec ante sepulturam defuncti Prælati saltem ex honestate, fieri debet, aut de ea tractari: alioquin antè facta, nisi aliud obster, non valebit, *d. c. Bona memoria 26. juncta Glof. & Panor. ibid. n. 11. can. Nullus 7. dist. 79.*